




BIBLIOTECA NAZIONALE
VITTORIO EMANUELE
6
3 H
53

Collegii S. [illegible]

TRACTATVS
DE ANTIQVIS ROMANORVM RITIBVS

Collectus Opera, & Studio

D. INNOCENTII CÆSII

A' MANTVA

Monachi Casinensis Prioris S. Benedicti.

Sacræ Theologiæ Doctoris, & Sancti Officij Consultoris.

DICATVS

Illustrissimo, & Excellentissimo

DOMINO MARCHIONI

CLAVDIO GONZAGÆ

BONONIÆ. M.DC.IIC.


Typis Petri-mariæ de Montibus.

Superiorum permissu.

ILLVSTRISSIME,

Et Excellentiſs. Domine.





Vod tenuem hunc, & obſcurum laboris ingenijque mei fœtum nominis tui Sacrario ſiſtere audeam, nihil mihi debes; innumeris namque beneficijs tuis cumulatus, ac penè obrutus, æquum erat vt aliquod obſequij, cultuſq; mei pignus deferrem, & palam vota

nuncuparem. Pręclare etiam cum hoc opusculo acturum putaui, si fronti illius Nominis Tui amplitudinem pręfigerem, certa non intermoriturę Famę fiducia, & quadam immortalitatis nota. Quid enim felicius illi poterat contingere, quam in lucem prodire sub amplissimis illius familię auspicijs, cui longo virtutis, & fortunę certamine tot decora accessere, vt non solum Patrię, verum etiam totius Orbis fastos impleuerit? Quid gloriosius illi contingere, quàm tanti Viri nomine decorari, qui Virtuti similimus, animoque

super

ſuper humanam, & Naturam, & fidem euecto, magnitudine cogitationum, celeritate conſilij, rerum agendarum prudentia ſuo, & ciuium voto maior Sapientiores cuiuſcunque Ætatis Viros antecellit? Tuas ſanè virtutes optimaſque regendi Artes agnouit Caſalis Ciuitas tuæ fidei comiſſa. In eius ſi quidem Regimine, Pietate, & Iuſtitia antiquis Heroibus comparandus admirabili iudicio clementiam, & ſeueritatem procul ab inuidia comiſcere; ſine fuco Religionem colere, comitatem ſine dedecore, ſine faſtu

 di-

dignitatem tueri consueuisti. Adeo assiduus in Tribunali, adeo frequens in publicis negotijs expediendis, vt labore refici, ac reparari videreris. Difficillimis inde Temporibus, arduis rebus pertractandis admotus Mens tua assiduo, ac diuturno magnarum artium vsu, ac sapientiæ studijs exculta strenuam, semper, fidelemque operam nauauit.

Quidquid vero otij è grauissimis occupationibus suffurari potes id totum euoluendis annalibus impendis; Vberimam namque ex litteris laudem legendo appetis, & audien-

dien-

diendo. Hac de causa Virtuti optimisque artibus Domi tuæ certissimus est receptus, nullam enim iucundiorem captas voluptatem, quàm ex cætu Virorum insignium, qui cæteris vna præcipue eruditionis comendatione præcellunt. Pictura quoque, & Statuaria Tibi plurimum debent, has enim artes ingenti studio foues, summaque promoues liberalitate. Et meritò Hæ siquidem fato functis vitam per Spirantia simulacra reddunt, & cum litteris ipsis de perennitate decertant; Nam sicuti litteræ animorum effigiem,

mo-

morumq; lineamenta in æuum prorogant, ita istæ corporum figuras intercidere non patiuntur, mutoque opere, ac surdo artificio hominum formas, & aspectus posteris narrant. Hæc sunt Illustrissime, & Excellentissime Domine Virtutum monumenta, quæ te vulgo hominum exceptum propius Cælo adstituunt. Hæc sunt, quæ Ciues non solum; Verum Exteras quoque Nationes in tui rapiunt Venerationem. In te quotquot Musarum Sacris operantur ingenium, & vota vertunt, In Te doctarum noctium peruigi-

gi-

giles curas, dierum sudores, ac meditamenta conferunt, Te linguis omnibus, ac litteris celebrant. Ego pariter Venerantium Turbæ permixtus, Breuissimum hoc de Antiquis Romanorum Ritibus Opusculum exhibeo. Quod cum antiquitatis studio, eruditioneque delecteris Tibi haud iniucundum fore existimo. In hoc si eruditos oculos flectere, Meque patrocinio tuo fouere non dedignaberis, Veteribus Titulis nouum hoc beneficium accedet. Vitæ meæ reliquum vsquequo fatà dispungant, tibi religiosissimè addictum

ctum erit; Deumque continua supplicatione lacessam, vt Tu qui Scientiarum decori, Artium tutelæ, Patriæque ornamento viuis,

Illiacos æquare senes aut vincere posſis.

Dominationis Tuæ Illuſtriſs. & Excellentiſs.

Addictiſsimus.
D. Innocentius Cæſius.

NOS

NOS D. IO. BAPTISTA
A' BRIXIA
Abbas, & Præsidens Congregat. Casinen.

CVm Opus, quod inscribitur *De Antiquis Romanorum Ritibus* ab Adm. R. P. D. Innocentio à Mantua Monasterij S. Benedicti in Padolirone Priore Claustrali elucubratum, Reuerendiss. P. D. Gregorius à Mutina Abbas S. Benedicti Militelli, & D. Constantinus à Thine nostræ Congregationis Theologi à Nobis Deputati, recognouerint, & in lucem edi posse censuerint, vt Typis mandari possit facultatem nostram tribuimus, si cæteris, quorum interest, videbitur. Datum Brixiæ in Monasterio S. Faustini die 4. Septembris 1698.

D. Io. Baptista a Brixia Præsidens Congreg.

L. ✠ S.

D. Petrus à Toffia Procanc.

Vidit


Vidit D. Sebastianus Giribaldus Cleric. Regular. S. Pauli, & in Ecclesia Metropolitana Bonon. Pœnitent. pro Eminentissimo, & Reuerendissimo D. D. Iacobo Boncompagno Archiepiscopo, & Principe.

Imprimatur

Fr. Claudius Iunius Prouicarius S. Officij Bononiæ.


TRA-

TRACTATVS DE ANTIQVIS ROMANORVM RITIBVS.



CAPVT PRIMVM.

De Natiuitate, & educatione Infantum.



VEteres non statim ac puer natus erat pro vitali partu ipsum habebant, sed aliquos dies expectabant, quibus puer continuo vitalium operationum exercitio fidem faceret se verè viuentem esse, vt testatur Casaubonus in comentarijs. Ad Persium.

 Ali-



Aliquibus ergo diebus transactis lustrabatur infans, quod quinta die factum fuisse dicitur, qui dies lustricus appellabatur.

Hoc autem munus obibant vetulæ materteræ, vel cognatæ, eo quia essent in omnibus superstitiosis ritibus optimè instructæ.

Sic autem lustrabatur infans. vetula matertera, vel cognata saliuam ad labra, oculos, & frontem infantis admouebat, hocque peragebat infami digito, scilicet medio. Nec solam saliuam adhibebat, cui magna virtus inesse existimabatur, sed puluerem sputo turbatum videlicet lutum; nec vllæ fiebant expiationes sine luto, vel proprio sputo confecto, vel è balneorum cellis petito.

Eo-

Eodem quoque die ad Parentes deferebatur puer, & vota pro eodem concipiebantur, quod præstabat matertera alba veste induta.

Hæc omnia lepidissimis sanè carminibus indicat Persius Satyr. 2.

Ecce Auia, aut metuens Diuum matertera cunis
Exemit puerum, frontemque, atque vda labella
Infami digito, & lustralibus ante saliuis
Expiat, vrentes oculos inhibere perita.
Tunc manibus quatit, & spem macram supplice voto
Nunc Licini in campos, nunc Crassi mittit in Ædes.
Hunc optent Generum Rex, & Regina; puella

Hunc rapiant: quicquid calcauerit hic, rosa fiat.
Ast ego Nutrici non mando vota; negato
Iupiter hæc illi, quamuis te albata rogarit.

Lustrico etiam die, Casaubono teste, infanti nomen imponebant, quod nisi precedentibus augurijs præstare vnquam consueuerunt. Sed precipuè plura luminaria solebant accendere, vnumquodq; quorum proprio nomine donabatur, & nomen eius, quod cæteris extinctis superuixisset, arripiebant, & imponebant infanti.

Nato etiam puero sacrificabant Naturæ Deo, videlicet Genio, eo quod cuicunque homini nascenti proprium genium deputari existimarent. Vnde Horatius lib. 1. Ep. 2.

Sic Genius natale comes, qui temperat Astrum.
Naturæ Deus humanæ mortalis in vnum
Quodque caput.

Celebrabatur quoque à familia dies festus, qui, asserente Turnebo, appellabatur *amphimia*, quæ natum puerum circa focum ferebant, & amici, ac familiares dona dabant.

Habebantur etiam conuiuia inter Parentes, & amicos, quæ Conuiuia vult Turnebus, *Repotia*, fuisse appellata. Licet Festus pro Repotijs intelligat conuiuia, quæ habebantur secundo die post Nuptias, quo apud nouum Maritum cænabatur, & alij intelligant septimum diem à Nuptijs, quo iterum epulabantur. Dicit autem Turnebus con-

uiuia in puerorum ortu celebrata dicta fuisse Repotia, eo quod cum Maritis noua quot annis propè soboles nascatur, renouanda sit epulatio. Quod etiam videtur innuisse Ausonius sic scribens:

Coniugioque dapes, & sacra repotia Patrum.

Solemne erat Parentibus, asserente Lubino in Coment. ad Iuuenal. nascentibus sibi liberis arbores inserere, vina recondere, ac similia ad memoriam ætatis facere. Apud Lacedemonios autem natus infans non deferebatur ad parentes, sed ad locum quemdam nomine *Leschen* in quo aliqui Iudices statum diligenter spectabant, qui si in membris bene compactus, ac robustus erat, tolli iubebant, ei-

que

que ſortem inter milites aſſignabant. Si autem imbecillis, ac debilis reperiebatur, ad locum quemdam voraginoſum mittebant, quem Apothetas appellabant, vbi natum puerum Nutrices non aqua, ſed vino abluebant, putabant namque quod ſi robuſtus eſſet, mero robuſtior euaderet, ſi flacidus flacidior. Nullis faſcijs vtebantur, ſed pueros omnium æcumnarum generibus exponebant, vt laboribus aſſueſcerent, quod teſtatur Lubinus in Coment. Iuuenal.

Creſcentibus annis pueri ad Dianæ Aram, referente Plutarco, loris flagellabantur, vſque dum ſanguis erumperet, & multi quidem nec ingemiſcebant, quibus vtpotè fortiori animo prędictis adblandiebantur. Hoc-

que præſtabant, vt aſſueſcerent laboribus vulneribuſque perferendis.

Puellę quoque apud Lacones, referente Lubino, corpora curſu, lucta, telorum, ac diſcorum iactu alijſque laboribus exercebant, vt in valentibus corporibus robuſtior fœtus efformaretur. Et puerperij dolores facile paterentur.

Apud Gymnoſophiſtas, referente Apuleio Florid. lib. 1. Adoleſcentes nullam prorſus artem colebant, ſed ad litteras tantum iubebantur incumbere. Vbi Menſa apposita erat, antequam apponerentur edulia, adoleſcentes omnes conueniebant; interrogabantque eos Magiſtri quid boni factum ab ortu Solis vſque ad illud diei, & vnuſquiſque

que quod fecerat adducebat; Qui nihil egerat impransus foras extrudebatur.

Puerilia ornamenta apud Romanos erant Bulla, & prætexta, vt habetur ex Lubin. in Iuuenal. Primus quidem Bulla, & prætexta donatus fuit Tarquinij Prisci filius, eo quod in bello se viriliter gessisset, deinde euasit communis omnibus pueris, quorum parentes Magistratum currúlem gessissent. Libertinorum vero Filij lorum in collo pro bullæ figura gestabant.

Hæc autem Bullæ ab Ephebis cum ad maturiorem ætatem peruenissent, Veneri dicabatur. Sicuti eidem Deæ à Virginibus iam pubertati vicinis offerebantur Pupæ, quædam videlicet puellares imagunculæ, quibus

Virgines in prima pueritia lusitare solebant. Ad quam consuetudinem respexit Persius Satyr. 2.

Nempe hoc quod Veneri donatæ
à Virgine Pupæ.

In Pueris, ac puellis antiqui nigros oculos nigrosque capillos in non minima laude ponebant. Vnde Catullus in carmine contra Acmen sic habet.

Salue nec minimo puella naso
Nec bello pede, nec nigris ocellis.

Et Horatius de Lyco puero canit.

Et Lycum nigris oculis nigroque
Crine decorum.



CA-

CAPVT II.

De Vestibus Antiquorum.

NOn nulla hic tradam de Antiquorũ vestibus præsertim Romanorum; omnia enim latè ac diffuse explicare, & longæ paginæ opus esset, & extra aleam instituti mei.

Primùm ergo occurrit habitus Deorum, qui in terram descendentes fingebantur amicti veste ex alba nube contexta. Vnde Deos quoque precaturi alba veste induebantur. Quò respexit Persius Satyr. 2.

Negato
Iuppiter hæc illi quamuis te albata rogarit.

Vestes interiores apud Roma-

manos erant tunicæ sic dictæ à tuendo corpore. Tunica omnium intima dicebatur illa, quam hodie lineam adhibemus. De qua Ouidius 2. Amor:

Sic etiã tunica tangitur illa sua.

Alia erat tunica, quæ media dici poteſt, cuiuſmodi eſt ferè tunica lanea rubra, vel alba, qua brumali tempore vtimur, vulgò camiſciola.

Erat, & alia tunica, quæ his ſuper induebatur Gallis vocabuli Gręci veſtigia retinentibus dicta *Hocqueton*, quaſi ὁ λιτοῖν.

Super imponebant Tunicis Romani Togam quæ erat veſtis lata vſque ad talos porrecta. Vnde Romani Togati dicebantur. Virgil Æneid.

Romanos rerum dominos, gentemque Togatam.

To-

Toga puerorum dicebatur prætexta, ita dicta quod purpura prætexebatur, qua Toga vtebantur etiam Magiſtratus. Togam hanc deferebãt Pueri nobiles tantum, quorum Patres geſſiſſent Magiſtratum currilem. Ea vtebantur vſque ad annum decimum ſeptimum, quem attingentes ea depoſita ſumebant togam virilem, tanquam non pueriliter, ſed viriliter vita eſſet illis peragenda. Ideo autem ingenuis pueris attributam exiſtimant Togam prætextam, vt ex purpuræ rubore ingenui pudoris admonerentur. Bullam quoque auream collo pendentem Adoleſcentes nobilium deferebant. Libertinorum vero filij lorum in collo pro bullæ figura geſtabant.

Pri-

Primus autem, vt dixi, bulla, & prætexta donatus fuit Tarquinij Prisci Filius, eo quod in bello se viriliter gessisset, à quo postea in cæteros hæc insignia dimanarunt.

Senatores vtebantur tunica, quæ laticlauia appellabatur. Vnde Valer. lib. 5. *Et Tunica laticlauia donatum ad Massinissam remisit.*

Inferiores verò dignitate alia tunica vtebantur, quæ dicebatur angusticlauia, & etiam arctum lumen purpuræ, vt vult Turnebus Aduersar.

Sumi ædiles, præfecti scilicet theatrorum Municipalium tunicam albi coloris induebant. albus enim color honestissimus habebatur, & libertatis signum.

Effeminati Viri vtebãtur quadam

dam toga pellucida facta ex mollissimo serico multi coloris, quæ *multitia* appellabatur: Vnde Iuuenali Sat. 2.

Non facient alij cum tu multitia sumus Critice.

Milites supra tunicas induebant sagum genus quoddam vestis breuioris. Lacerna quoque, teste Casaubono in Persium, erat Pallium fimbriatum, quo olim soli milites vtebantur.

Qui exercitibus preerant vtebantur sagis coccineis. Lacedemonij verò omnes militabant sagulis rubris. Quod autem Sagum fuerit vestis non solum propria Gallorum, sed etiam adhibita à Romanis in bello: præterquam ab optimis Scriptoribus traditur colligitur etiam ex Horatio, qui fugientem

tem Antonium describens ait.

Terra mariq; victus hostilis punico
Lugubre mutauit sagum.

Casaubonus in Persium vult etiam fuisse quaedam ornamenta virorum fortium, quae dicebantur *Phalerae*, & quia cum ea aliquis fuisset consecutus insolentiùs se iactare solebat, hinc fuit factus locus prouerbiali locutioni, qua res inanes, & fastuosae phalerae dicerentur. Vnde Persius.

Ad Populum phaleras, ego te intus, & in cute noui.

Lubinus coment. in Iuuenal. asserit fuisse etiam quasdam vestes peregrinas datas Victoribus pro victoriae praemio, & collo pendentes quas dicit appellatas fuisse *Niceteria*. Sed puto Nicete-

teria fuiſſe quidem ornamenta Victorum, ſed dubito an fuerint veſtes, crediderim enim potiùs fuiſſe veluti torques; Quod confirmatur ex Iuuenali Satyr. 3.

Fert Niceteria collo.

Sic dicta à verbo greco νικάω quod latinè ſonat vinco.

Mulieres Romanæ vtebantur etiam ipſæ interioribus tunicis ſicuti & viri, ſed oblongis, & talaribus. Vnde Martialis in Lesbiam.

Prædicant miſeram Lesbiam
Tunicæ.

Tunica autem omnium intima, quæ loco illius, quæ vulgò hodie camiſcia, habebatur à mollioribus fœminis, adeo ſubtilis deferebatur, vt nebulæ tenuitatem emularetur, & hanc pellucidam poſuit Petronius.

Palam

Palam prostare nudam in nebula
linea.

Super tunicas, vestem vsque ad imos pedes tendentem Matronæ Romanæ induebant, cuius extremam partem ambibat instita, quæ erat fasciola quædam siue lymbus Ouid. in Am.

Quæque tegit medios instita longa pedes.

Hæc autem vestis stola dicebatur. Matrona in adulterio deprehensa vna cum dignitate matronali ius stolæ amittebat, & aliud sumebat amiculum quod togam appellabant. Et in hoc distinguebantur Matronæ mechæ à Meretricibus, quod Matronæ mechæ alba, meretrices vero pulla toga vtebantur, & illarum toga protensa erat vsque ad talos, istarũ vero erat succinctior. Spon-

Sponsarum habitus erat vestis longa fimbriata lutei coloris, quam super tunicas induebant. Segmenta etiam erant ornamenta nouiter Nuptarum. Segmenta autem ab aliquibus interpretantur monilia ex auro, & gemmis confecta; Ab aliquibus vero accipiuntur pro ipsis vestibus minutis auri, gemmarum, purpuræ alteriusue materiæ pretiosæ segminibus contentæ, quæ dicebantur segmentatæ vestes, nobis sunt, quæ vulgo dicuntur *ricamate*, quas volunt fuisse proprias nouiter Nuptarum.

Flameum erat quoddam genus veli lutei, siue crocei coloris, quod à nouis Nuptis gestabatur. Sic dictum quod eo assiduè vtebatur Flamminica idest

Flam-

flamminis Vxor. Et quia Flammini non erat permissum cum vxore diuortium facere, institutum fuit, vt etiam nouæ Nuptæ hoc amiculi genere vterentur boni ominis causa, in signum videlicet indissolubilis coniugij. Omnia hæc nouis Nuptis attribuit Iuuenal. Satyr. 1.

Segmenta, & longos habitus, & flammea sumit.

CAPVT III.

De Conuiuijs Antiquorum.

COnsueuerunt Veteres præsertim Romani, ne partem aliquam solido demerent de die, sed totum publicis, priuatisque negotijs impenderent, corporis refectionem in Vesperam vsque diferre; Quo tempore

pore amici cognatique ſe ſe inuicem liberiùs inuitabant, vt feſtiuiùs hilaritati voluptatiq; indulgerent.

Inclinato igitur in Veſperam die, non ſolum oblonga tabula, verum etiam tricliniares lecti in quibus iacentes cenabant ſplendidè parabantur. Hos lectos ex citrinis tabulis fuiſſe contextos ferunt quam plures, vt illarum fragrantia, & Conuiuarum voluptati, & tetro ciborum odori expellendo conſultum eſſet.

Antequam diſcumberent veſtem, qua erant ſuper induti exuebant, veſtiebantque aliam moliorem, & coloris exquiſitioris, quam fuiſſe Hyacinthinam tradunt nonnulli; eo quod Hyacinthinus color in delicijs fuerit

rit habitus. Quo respexit etiam Persius Satyr. 1.

Hìc aliquis cui circum humeros
hyacinthina læna est.

Manus indè non solum verùm etiàm pedes abluebant, vndè vetus illa discendi forma *Aqua pedibus*, *Aqua manibus*, qua Veteres nullo adiecto verbo ad postulandam ante conuiuia aquam vtebantur.

Mox vnguentis se dilinibant, coronasque ex floribus compactas capitibus imponebant, tum voluptatis causa, tum quod crederent odoramentis ebrietatem impediri. Hùc sane videtur respexisse Catullus dum amicum suum Fabullum ad Cœnam inuitans dicit.

Nam vnguentum dabo, quod meæ
puellæ

Do-

Donarunt veneres cupidinesq;
Et etiam Horatius ait:
Cur non sub alta, vel platano, vel hac
Pinu, iacentes sic tenerè, & rosa
Canos odorati capillos
Potamus vncti.

His coronis apium permixtum erat, vel quia ebrietatem expellere existimabatur, vel, quod potiùs crediderim, vt inter delitias etiam se mortales esse recordarentur; cum apium ad sepulchra coronanda fuerit adhibitum.

In conuiuijs certè mortis mentionem fuisse factam colligitur ex Petronio, qui in Satyris suis describens lautam Trinalchionis cœnam ait, seruum laruam argenteam attullisse, sic aptatam, vt articuli eius vertebræq; la-

laxatæ in omnem partem verterentur. Qua visa Trimalchio exclamauit.


Heu, heu nos miseros quàm totus homuncio nihil est
Sic erimus cuncti postquam nos auferet Orcus
Ergo viuamus dũ licet esse benè.

Ex quo pariter patet Veteres hoc non præstitisse moderationis, aut temperantiæ causa, sed potius, vt genio ac voluptati liberiùs indulgerent, cum se aliquando moriturus esse meminissent.

Conuiualibus hisce coronis non nunquam etiam auiculas quasdam alligare consueuisse tradit Festus, quarum cantu assiduo, & crebris rostri, vnguiumque puncturis efficeretur, ne ipsi inter pocula obdormirent.

Vn-

Vnguentis igitur delibuti coronisque redimiti ità accumbebant, Terentio teste, vt capite leuiter erecto, suffulto plumis dorso, reclinata in læuum cubitum ceruice, infera vero in longum porrecta, nec iacere dici possent, nec sedere, sed medium quid, quod propriè accumbere dictum est.



Incipiebat cœna ab ouo, finiebat ad pomum, vnde vetus illud vulgatumq; dictum ab ouo ad malum, ab initio videlicet ad finem mensæ.

Lauta autem illa censebantur conuiuia, in quibus vno ablato ferculo semper alia, & alia melior esca succederet, & præcipuè repositorium cum integro, sed tenello sue circa conuiuij medium adferi solebat vt ex eo-

dem Petronio compertum eſt. Nullam verò auem præter ficedulam totam comedendam eſſe putabant. Cæterarum auium, atque altilium niſi tantum adponeretur, vt à cluniculis inferiori parte ſaturi fierent, conuiuium exiſtimabant inopia ſordere.

Solebant inde talorum iactu vnum aliquem creare, qui præſcriberet quantum quiſque, & quomodo temperatum biberet, quem Greci συμποσίαρχον, aut etiam Βασιλέα vocabant. Horatius *bibendi arbitrum* dicit.

Quem Venus arbitrum
Dicet bibendi.

Et Varo *Modiperatorem* appellat.

Pocula miniſtrabant pueri comati, eximiè culti, elegantiſque

for-

formæ. Poculi miniſter à Grecis dictus eſt *οἰνοχόος* à Latinis *Poccillator*. Procedente conuiuio maioribus ſemper poculis, & vina generoſiora bibebant. Vtrumque habet Catullus.

Miniſter vetuli puer Falerni
Ingere mi calices amariores.

Vinum non ſolum percolatum, verùm etiam decoctum, vt omnem deponeret auſteritatem, in delitijs habebant. Illudque in amphoris varijs notis ſignatis aſſeruabant; Quare delicatius vinum poſcentes dicebant de meliori nota.

Amphoris quoque ſolebant inſcribere nomina conſulum, quorum tempore vinum fuerat ex vuis expreſſum, & quo erat antiquius, eo prætioſius habebatur. Quare Petronius in ea-

dem Trimalchionis cœna ait allatas fuisse amphoras vitreas diligenter gypsatas, quarum in ceruicibus pittacia erant adfixa cum hoc titulo. *Falernum Opimianum annorum centum.*

Vnguentum quoque mixtum fuisse, vel ante potum in amphora, vel in ipsa potione, asserit Teophrastus. Vnde amphora Nardini, vel vinum Nardinum dicebatur, in quo Nardus erat permixtus.

Sermo in conuiuijs versabatur, vel circa claros illustresque viros, quorum, festis præcipuè diebus fiebat mentio, vt Torrentius tradit. Vnde summa Augusti laus fuit Romanos ipsũ non festis tantum, sed etiam profestis diebus, non solum in publicis sed in priuatis etiam con-

conuiuijs celebrasse. Vel vnusquisque suos proponebat amores. Solebant enim teste Mureto in Commentarijs Catulli sortiri quo quisque ordine amores suos narraret. Apud Romanos hæc etiam viguit consuetudo, vt aliquis vel memoriter, vel de scripto non nulla alicuius Poetæ carmina recitaret, vnde conuiuis fabulandi ansa, atque materia præberetur. Consuetudinem hanc expressit Persius Satyr. 1.

Ecce inter pocula quærunt
Romulidæ saturi, quid Dia Poemata narrent.

Sublata prima mensa secunda apponebatur eleganter apparata cum pomis. Vinum tunc promptum exquisitissimum, libatumque illi, vel Deo, vel

homini, quem quiſque ſibi propitium optabat. Vnde Horatius habet.

Et alteris

Te menſis adhibet Deum.

E conuiuio diſceſſuri iterum Ioui ſeruatori libabant, & ituri iam cubitum vltimum ſupremumque poculum ſomni quietiſque Præſidi Mercurio litabant.

CAPVT IV.

De Nuptijs Veterum Rom.

APud Romanos Virilis fortunæ templum erat extra Vrbem ad Tiberis ripam, ad quod mulieres, quæ dabantur nuptui frequentes ventitabant, vt corpore inuelato ſingula
mem-

membra, ne quo morbo vitioq; affecta forent, aut labe aliqua tenerentur detegebant. Huius meminit Ouidius Fast.

Discite nunc, quare fortunæ thura virili
Detis eo gelida, quo locus humet aqua
Accipit ille locus posito velamine cunctas,
Et vitium nudi corporis omne videt.
Vt tegat hoc celetq; viros fortuna virilis
Præstat, & hoc paruo thure rogata facit.

Nupta tegebat caput quodam velamine rubeo quod flameum dicebatur. Vnde Catullus in Nuptijs Iuliæ, & Manlij ait *Flameum cape*. Hoc autem fiebat ad indicandum pudorem vt vult



Festus, & boni ominis causa, quod eo assiduè vtebatur Flaminica idest Flaminis vxor, cui non licebat facere diuortium.

Color quo vtebantur in Vestibus nuptialibus erat luteus. Idem Catullus ibidem.

Niueo gerens
Luteum pede socum.

Cingulo etiam noua nupta præcingebatur, facto ex lana ouis, vt vult Festus, vt sicut illa in glomos sublata, coniuncta, ac compacta inter se sit, sic vir secum cinctus vinctusque esset. Hoc cingulum Herculano nodo vinctum Vir soluebat in lecto ominis gratia, vt sic ille felix esset in suscipiendis liberis, vt fuit Hercules, qui septuaginta liberos reliquit Catullus.

Quod

Quod Zonam soluit diù ligatam.

Dum egrediebatur noua Nupta, e domo Parentum Pueri, & puellæ carmina canebant, plena omni licentia in quibus carminibus inuocabatur hymeneus nuptiarum Deus, vt faustus adesset, vnde sæpissime eius nomen repetebatur, & inuitabatur nupta, vt domo prodiret. Vnde Catullus.

Sed moraris abit dies
Prodeas noua Nupta.

Ante nuptam præcedebant pueri cum tedis, & facibus, eo quod nisi noctu celebrarentur Nuptiæ, noctuque Nupta in domum viri duceretur. Erat autem nuptialis teda facta ex alba Spina, vt testantur Festus, & Plinius, idque quoniam in Sabinarum raptu, qui felicissime ces-

ſit talibus etiam tedis paſtores vſi eſſent Catullus.

manu

Spineam quate tedam.

Quinque autem facibus vtebantur in Nuptijs, quod is numerus quaſi ſymbolum quoddam ſit Nuptiarum, vt qui ex primo impari, & primo pari tanquam ex mare, & fœmina conſtet.

Eas faces qui præferebant, δαδοῦχοι à Grecis à Latinis fortaſſe olim pueri lauti dicebantur; Quod ſuſpicari licet à verſiculo Plauti, qui eſt in Cucurlione; vbi ſeruus adoloſcenti eunti de nocte ad amicam, cereumque manu ferenti ita dicit: *Tute tibi puer es lautus luces cereum.*

De his facibus meminit Catullus.

Tol.

Tollite ò pueri faces.

Cum peruenisset Nupta ad Domum Sponsi cauebatur ne ingrediendo hostij limen tangeret, hoc enim ominosum habebatur præcipuè in nouis Nuptis. Vnde Plautus.

Sensim super attolle limen pedes noua Nupta.

Et Lucanus lib. 2.

Tralata vetuit contingere limina planta.

Et Catullus de Nuptijs Iuliæ, & Manlij.

Transfer omine cum bono
Limen aureolos pedes
Rasilemq; subi forem.

Patrimi, & Matrimi Prætextati, vt docet Festus nubentem deducebant, vnus qui præferebat facem principalem ex spina alba, vt supra dixi, & duo, qui

tenebant Nubentem quod expressit Catullus.

Mitte brachiolum teres
Prætextate puellule.

A mulieribus inde, quæ vni tantum, Viro nupsissent, quæ pronubæ dicebantur noua Nupta in lectum transferebatur. Idem Catullus.

Vos vnis senibus bonæ
Cognitæ benè fœminæ
Collocate puellam.

Ad hanc postea ingrediebatur vir, & ad illam iam in lecto locatam coram omnibus accedebat. Interim à puellis, & pueris canebantur carmina fescenina omni licentia plena, & hoc carmen propriè dicebatur epithalamium, & interim vir nuces spargebat. Idem Catullus.

Da

Da Nuces pueris iners
Concubine.

Quare autem id fieret consule Muretum in Comentar. Catulli vbi causam doctè, ac disertè adducit.

Bonos filios postea Sponsis augurantes omnes discedebant ostium claudentes. Qua de re idem Catullus habet.

Claudite ostia virgines
Lusimus satis, at boni
Coniuges benè viuite, &
Munere assiduo valentem
Exercete iuuentam.

Sequenti die post Nuptias habebatur conuiuium in domo Viri, nam ipso Nuptiarum die cenabatur apud Parentes Nuptæ. Illud autem conuiuium appellabatur repotia, vt vult Festus.

CA-

CAPVT V.

De Cultu Dijs exhibito.

VEteres summa religione Deos venerabantur. In adorationis autem ritu manum ori admouere solebant, ac tum demum versus illum, quem adorabant, aut salutabant, porrigebant, quod dicebatur oscula iacere, & basia iactare, & actus ille osculum labratum etiam appellabatur.

Aurigæ vero loco dextræ osculabantur flagellum dextera apprehensum, atque hoc modo dum ante Deorum Simulacra transibant, eadem venerabantur.

Hoc autem sæpe accidebat, Gentibus namque in more positum

tum erat lapides in agrorum finibus designandis positos pro dijs colere, quos terminales Deos, siue terminos appellabant; constabantque isti vel ex vno lapide effigiato, vel ex congerie multorum lapidum, vt docet Lubinus in Com. ad Iuuenal. Simulacra ista vnguentis delinibant; & florum coronis exornabant. Quam consuetudinem his carminibus expressit Tibullus.

Nam veneror, seu stipes habet desertus in agris
Seu vetus in triuio florida serta lapis.

Fiebant etiam acerui lapidum in honorem Mercurij, quos vocabant statuas Mercurij quadratas ad itinera demonstranda, quos aceruos viatorum quisque præ-

præteriens crebro lapidum iactu augebat. Lubinus ad Iuuenal.

In locis autem alicui Deo sacris pingebatur anguis, qui erat Symbolum indicans locum illum sacrum esse, summa namque impietas habebatur apud veteres in loco sacro vrinam facere, vel illum alio imunditiarum genere deturpare. Quo respexit Persius. Satyr. 1.

Hic inquis veto quisquam faxit oletum.
Pinge duos angues, pueri, sacer, & locus extra Meyte.

Tanta religione Deos venerabantur veteres, vt nihil in conuiuio tangerent, nisi prius illud Laribus dijs libassent. Quod etiam faciebant de primitijs segetum, & fructuum, quas dijs offerebant. Vnde vetus illud di-

ctum

ctum *Ante Laris gustet.* Turnebus Aduers. Maiores Dij aurea barba donabantur, quam detrahere, vt fecit Dionysius Tyrannus summa impietas habebatur. Vnde Persius Sat. 2.

An quia non fibris Ouium Ergennaq; iubente
Triste iaces lucis euitandumque bidental
Idcirco stolidam tibi præbet vellere barbam Iupiter?

Solebant etiam simulacra Deorum oleo, aut vnguento perfundere. Vnde vnctus lapis apud Adrianum Turnebum Aduers. dicitur Simulacrũ Deorum.

Votũ verò suum nuncupatum, & in cartha conceptum conscriptumque Deorum genibus cera obsignatum adfigebant vnde Iuuenal. Satyr. 10.

Propter quæ fas est genua incerare Deorum.

Mos erat, vt qui primùm ingrederentur Ciuitatem, aut regionem aliquam, vel ad eam ex interuallo reuerterentur, religiosè eam salutarent: idque quoniam cuiq; loco suum quemdam Genium preesse arbitrabantur. Itaq; Pitagorici homines pro diuersitate locorum diuersam fortunam sortiri arbitrabantur pro vt videlicet cuiusq; loci genio cuiusq; hominis genius conueniret. Vnde Virgil.

Ignarus Genium ne loci famulumne parentis esse putet.

Idem alio loco.

Sic deinde effatus frondenti tempora ramo
Implicat, & Geniumq; loci primamq; Deorum

Tel-

Tellurem, Nimphasq; & adhuc ignota precatur Flumina.

Et Ouidius.

Cadmus agit grates peregrinaq; oscula Terræ
Figit, & ignotos montesq; agrosque salutat.

Et Catullus.

Salue o Venusta Sirmio atque Nero gaude.

Soli nullum simulacrum cum Dijs alijs ne constitueretur sanxit Antiquitas Summus enim Deus nataque ex eo mens, sicuti supra animam, ita supra naturam sunt, quò nihil fas est de fabulis peruenire Macrobius in Som. Scip. cap. 2. lib. 1.

Tanta Sacris locis veneratio habebatur, vt pecunias, testamenta, & cætera pretiosiora in templis reseruarentur, & præci-

cipue in vestali. Putabant enim neminem tam sacrilegum esse, vt ea violare auderet. Casaubonus in Persium.

CAPVT VI.

De Sacrificijs.

SAcrificia præcipuè fiebant in templis. Hæc autem licet à primis hominibus in Lucis, ac nemoribus, & locis maximè solitarijs condita fuerint: Postea in Ciuitatibus etiam, vt crebro hominum concursu frequentarentur quàm magnificè condita fuere.

Antequam autem sacrificarent se lauare solebant in aqua viui Fluminis. Vnde Persius Sat. 2.

Hæc Sanctæ ut poſcat Tiberino
in gurgite mergit
Mane caput, terq; & noctem flu-
mine purgat.

Et Iuuenal. Satyr. 6.

Ter matutino Tiberi mergetur,
& ipſis
Vorticibus timidum caput abluet.

Sacrificia peragere licet ad Sacerdotes propriè ſpectaret, qui Sacerdotes erant viri magni natus, rerum ſacrarum peritiſſimi, qui teſte Lubino in Iuuenal. *Myſtæ* dicebantur. Propriiſſimè tamen erat munus Pontificis, qui proinde Pontifex Sacrorum dicebatur.

Summa autem erat Pontificis dignitas, illique ſoli in Capitolium Carpento aſcendere licuit teſte Tacito lib. 12. & Alexandro ab Alex. Genial. dierum

lib.

lib. 2. Eodemque aſſerente lib. 2. cap. 8. ante fores Pontificum, ſicuti & Imperatorum viridis laurus videbatur affixa, & cum cæteri honoribus functi rationem adminiſtrati muneris reddere cogerentur, Pontifex tamen Maximus pro Maieſtate geſti honoris rationem dare minimè cogi poterat.

Non ſolum ab omni ſanguine decuiſſe Pontificem puras manus ſeruare aſſerit Liuius lib. 2. ſed neque participem quidem, aut conſcium alicuius necis fieri. Quin imò aſſerente Seruio in 6. Æneidos cadauer videre eidem nefas fuit, ne quid triſte aut lugubre oculis acciperet. Nec iurare per Filios illi licebat. Per Deos verò permiſſum fuit.

Ad ſacrificia alba veſtis adhibe-

hibebatur. Matronæ verò in sacrificijs, & supplicationibus vtebantur quadam vitta propria Matronarum, & pudoris insigne. Muret. in Coment. Catulli.

Religiosè cauebant veteres ne quid dictu, factuque inauspicatum accideret inter sacra. Quare admonebantur, vt malis verbis parcerent, & præco clamare solebat *hoc age*, vt si quis minus attentus esset, totum se dare rei Diuinæ admoneretur. Vnde Tullius de diuinatione lib. 1. sic habet. *Neque solum Deorum voces Pythagorei obseruauerunt, sed etiam hominum, quæ dicunt omina; quæ maiores nostri quia valere censebant, iccirco ominibus rebus agendis.* QVOD BONVM, FELIX, FORTVNATVMQVE *præfabantur, rebusq;*

Diui-

Diuinis quæ publicè fierent vt fauerent linguis imperabatur.

In ſacrificijs etiam verbena cingebantur altaria, eademque capita coronabant imolantes. Vnde Cicero in Ver. *Sacerdote cum inſulis, & Verbenis*, & Hor. lib. 1. Ode 19.

Hic viuum mihi ceſpitem hic
Verbenas pueri ponite thuraq;
Bimi cum patera meri
Pacata veniet mitior hoſtia.

Verbenæ autem nomine venit non ſolùm herba ſic appellata, ſed frondes quæcunque, & herbæ ad aras coronandas ex puro loco decerptæ, Verbenæ quaſi Herbenæ appellantur, vt notat Donatus in locum illum Andriæ Terentianæ *Ex ara verbenas hinc ſume*. Quo profectò in loco Terentius non videtur

in-

intelláxisse herbam illam quæ propriè vocatur verbena cum apud Menandrum μυρσινη hoc est mirtus legatur.

Hostia sacrificij coronis ornabatur, & præcipuè Tauri, quorum cornua auro pingebantur, & iugo, seu paxillo aureo vinciebantur, vt notat Delrius in Comentar. Senecæ Trag. in locum illum Æd p. num. 137.



Aureo taurus rutilante cornu
Labitur segnis.

Admota Aris hostia, dum vota concipiebantur vinum, & mola eidem inspergebatur; vnde idem Seneca in Ædip ait.

Huc properè admoue
Et sparge salsa colla taurorum mola.

Quæ hostia si non abnueret neque reluctaretur, placidoque

C vul-

vultu admotas pateretur manus, ſtare dicebatur, & boni euentus erat indicium.

Thure inde adolebant altaria, & hoſtia comburebatur, quæ ſi ſtatim flamma coriperetur, & conceptus ignis clarus, & nitidus recta via ad Cœlum tenderet, boni ominis erat indicium; ſecus verò erat ſignum ominis aduerſi, ſi hoſtia non vno ictu concideret, & morti reluctaretur, & flamma concepta ex hoſtia fumo infuſcata, ac obruta hùc, illucque vagaretur; quæ omnia explicantur à Seneca Tragic. in Ædipo vbi MANTO, & TIRESIAM; tali pacto inter ſe inuicem alloquentes inducit.

MAN. *Opima Sanctas Victima ante aras ſtetit.*

TIR.

TIR. *In vota superos voce solemni voca.*
Arasque dono thuris Eoi extrue.

MAN. *Iam thura sacris cælitum ingessi focis.*

TIR. *Quid flamma largas iam ne comprehendit dapes?*

MAN. *Subito refulsit lumen, & subito occidit.*

TIR. *Vtrumne clarus ignis, & nitidus stetit?*
Rectusque puerum verticem Cælo tulit,
Et summam in auras fusus explicuit comam.
An latera circumserpit incertus viæ,
Et fluctuante turbidus fumo labat?

MAN. *Non una facies mobilis flammæ fuit.*

Prosequitur tota illa Scen. 2. Ac. 2. ea omnia, quæ in immolatione hostiæ faustum, vel infaustum omen præsignarent.

Nefas erat Sacra præsertim eleusina vulgare, quæ propterea noctù fiebant, & vinum non adhibebatur. Vnde Numenio inter Philosophos occultorum curiosiori offensam Numinis quod Eleusina Sacra interpretando euulgauerit, somnia prodiderunt, vt refert Macrobius in Som. Scip. lib. 1. cap. 2. Viso sibi ipsas Eleusinas Deas habitu meretricio ante apertum Lupanar videre prostantes, admirantique, & causas non conuenientis Numinibus turpitudinis consulenti, respondisse iratas, ab ipso se adyto pudicitiæ suæ vi abstractas, & passim adeuntibus

pro-

prostitutas. Hinc ortum habuit illud adagium *Cereris sacra vulgare* pro nihil tacere.

Veteres cùm in rebus omnibus, tùm in agricultura nihil illis optime successurum existimabant, qui Deorum cultum negligerent. Quibus proinde referente Turnebo primitias rerum omnium sacrabant, dicebantq; *ante Laris gustet*.

Adorabantur in Agris Dij termini, qui erant vncti lapides positi ad indicandos agrorum fines. Quibus ab agrorum possessoribus sacrificabatur aliquãdo agna, aliquando porca.

Flumina quoque referente Torrentio, Pro Dijs colebantur, & pingebantur eorum simulacra cum cornibus, quia mugitum habent sicuti boues, & eorum

rum cornua coronabantur arundinibus, illisque vino, & floribus sacrificabant addita aliqua hostia.

Ab exercituum Ducibus cum victoriam ex hostibus retulissent postquam triumphali curru deuecti peruenissent ad Capitolium ibi alba bos, & indomita imolabatur, vel etiam aliquando Taurus albus. Victimas etiã Mineruæ, ac Victoriæ cædebant Victores, quod præstitisse Alexandrum narrat Curtius cum accepto in deditionem lisimitro Scithiæ præfecto, ei imperium restituit.

Magæ nudis pedibus, & passo capillo sacra sua peragere solebant, vt asserit Virgilius 4. Æneid. Vnde à Seneca Tragic. in Med. Ac. 4. S. 2. Medea Sacris

cris operatura pede exuto inducitur.

Tibi more gentis vinculo ſoluens comam

Secreta nudo nemora luſtraui pede.

Numa Romanorum Rex, Teſte Liuio, duodecim ſtatuit Sacerdotes, quos Salios appellauit quibus pictæ tunicæ inſigne dedit, & ſuper tunicam Æneum pectoris tegumen, cæleſtiaque arma, quæ ancilia dicebantur. Iſtos iuſſit per vrbem ire canentes carmina cum tripudio, ac ſolemni ſaltatu.

Idem Numa, eodem aſſerente Liuio, Fidei ſolemne inſtituit. Ad eius ſacrificium Flamines bigis curru arcuato vehi iuſſit, manuque ad digitos vſque inuoluta rem diuinam facere, ſignifican-

ficantes fidem tutandam esse, sedemque eius in dexteris sacratam Romæ quoque fiebant ludi turpissimi in honorem Cybelis eo die, quo lauabatur in Almone Fluuio ante cuius lecticam, vt Augustinus scribit, turpissima quæque audiente multitudine vtriusque sexus canebantur. Sacerdotes autem galli Cybellem incolentes sibi ipsis virilia adimebant.

Faciebant etiam veteres strucem tritici, faris, & Fabæ, seminis caparei, addito thure, ac vino, & hoc parabant in Porcæ præcidaneæ immolationem, & Iano, Ioui, ac Iunoni immolabant, quam congeriem, vt docet Casaubonus in Persium, Fastum vocabant.

Bacho etiam sacra fiebant,

quæ

quæ maxima, & occultissima religione venerabantur, & in eis reconditissima subesse mysteria autumabant, vt scribit Lambinus in illud Horatij lib. 1. Ode 18.

Non ego te candide Bassareu
Inuitum quatiam nec varijs obsita frondibus
Sub diuum rapiam.

In sacris autem Bachi, & Cybellis Tympana, Cymbala, & cornua adhibere solebant. Idem Horatius.

Sæua tene cum Bericinthio
Cornu tympana.

Bellonæ Sacerdotes, teste Lubino in Iuuenal. Rem Diuinam faciebant proprij sanguinis effusione, & tunc vulnerati, diuino quodam eius afflatu correpti, præsentia explicare, &



futura vaticinari existimabantur.

Bonæ Deæ mulieres tantum sacrificabant. Quare ante sacrificium elata voce pronunciabatur *ite profani Viri*. Eidem autem porca prægnans mactabatur. Iuuenal.

Atque bonam teneræ placant abdomine porcæ.

Et Ouidius.

Sacra bonæ maribus non adeunda Deæ.

Carthaginenses, vt scribit Curtius ab Vrbis exordio vsq; ad illius excidium ingenuum puerum Saturno sacrificabant, quod per aliquod tempus, & Tirij obseruarunt.

Persæ, teste Casaubono, in Sacrificijs victimam secare in partes, & diuidere inter se solebant

bant animam solam Dijs relinquentes.

Ægyptij Mercurio sacra faciebant die decima nona primi Mensis, in quibus mel, & ficus edentes dictitabant *dulcis veritas*, vt testatur idem Casaubonus. Ægyptijs namq; nunquam fas fuit pecudibus, aut sanguine, sed tantum thure placare Deos.

Athenienses Misericordię sacra faciebant, eidemque templum donarunt quod erat omnibus tutum asylum, impiumque erat in illo nocere alicui. Quo respexit Claudian. de bello Gildon.

Flentibus Aram
Et proprium miseris Numen statuistis Athenæ.

Non solum bonis, sed etiam

malis Dijs ſacrificia exhibebantur. Romani namque malam fortunam, febrim, pallorem, timorem, & cætera huiuſmodi Numina venerabantur ne nocerent, quibus extra Ciuitatem templa dicata erant, & eadem Numina cane, & oue placabant, vt refert Alex. ab Alexand. genialium dierum lib. 1. vbi referuntur hæc etiam carmina.

Hinc mala rubigo virides ne torreat herbas
Sanguine lactentis catuli placatur, & extis.

Athenienſes etiam *Contumeliæ, & impudentiæ* Aras ſacrarunt, vt à contumelijs, & probris eos auerterent. Cic. lib. 2. de legibus.

Fortunæ quoque litatum eſt, cuius ſimulacrum ex auro fabrefa-

factum, vt ait Spartianus in vita seueri, veluti Sacratissimum in cubiculo Imperatoris solebat exponi, & post eius mortem in Successoris Tabernaculum transferri. Et cum Galba Imperator teste Suetonio aurea torque fortunæ simulacrum spoliauisset, eadem illi apparuisse dicitur, minataque se quoque, quæ ei contulerat erepturam.

CAPVT VII.

De Auspicijs.

ANtiquæ religionis edicto auspicijs tantus honos accessit, vt nihil belli domique nisi auspicato gereretur. Concilia Populi, exercitus vocati suma rerum, vbi aues non admisissent dirimerentur.

Hæc

Hæc autem auſpicia in exercitu apud Romanos penes vnum erant Imperatorem, teſte Liuio, cuius ideo auſpicijs geri omnia dicebantur.

Domi vero auſpicia erant penes Augurum Sacerdotem, cui ſummus deferebatur honos, tantaque fides eidem habebatur, vt eius dicto magiſtratus deponerentur ſi auſpicia contraria fuiſſe pronunciaret.

A plurimis autem, & penè infinitis rebus deſumebantur auſpicia. Omnia recenſere præſentis inſtituti non eſt, ſufficiat tantum indicare quædam celebriora, quæ mihi in variorum librorum lectione occurrerunt.

Ab Aquila ſanè ſemper optimum omen deſumptum eſt. Tarquinio quidem carpento cum

Vxo-

Vxore insidenti dum Romam properaret, Aquila suspensis demissa leniter alis pileum abstulit superq; Carpentum magno cum clangore volitans, rursus ministerio veluti missa capiti aptè reposuit indè sublimis abijt. Accepisse id Augurium læta dicitur Tanaquil, teste Liuio, cum enim perita esset, vt cōmuniter Etrusci, cœlestium prodigiorum, complexa virum iussit alta sperare, eam alitem edito circa summum hominis culmen auspicio leuasse humano superpositum capiti decus, vt diuinitus eidem redderet. Resque ex voto euenit. Tarquinius namque Romæ ad Regale fastigium euectus fuit.

Eadem Iouis Ales Alexandro in Darium pugnanti super

eius

eius caput, & circa equum leniter obuolans victoriam prænunciauit.

Plurima alia eaque semper fausta omina ab hac auium Regina facta leguntur apud Veteres.

A Coruo etiam licet plerumque infausti ominis esset indicium, ab ortu tamen solis veniente bonum omen indicabatur, & Marco Valerio Romano Tribuno Militum Coruus non solum fausta nunciauit, verum etiam attulit. Cum enim, vt scribit Liuius lib. 7. Gallus quidam vnumquemque Romanorum prouocasset ad pugnam, Valerius certamen inijt, eique iam manum conferenti cum hoste Coruus repentè in Galea consedit in hostem versus, te-

nuitque

nuitque Ales non ſolum captam ſemel ſedem, ſed quotieſcunque certamen initum eſt leuans ſe alis, os, oculoſq; hoſtis roſtro, & vnguibus petijt, donec eundem territum talis prodigij viſu oculiſque ſimul, ac mente turbatum Valerius obtruncat, cui deinde Coruini Cognomen fuit, & ei ob præmium Victoriæ tres, & viginti annos tantum nato conſulatus omnium conſenſu delatus eſt.

Cum ædificaretur Templum Iouis ſub Tarquinio ſuperbo caput humanum integra facie aperientibus fundamenta templi apparens Romam futuram eſſe caput Mundi prædixit.

A Flamma quoque ſemper fauſta, ac iucunda prenunciata ſunt Puero dormienti, referen-

te

te Liuio, cui nomen fuit Seruius Tullius caput arsisse ferunt multorum in conspectu. Plurimo igitur clamore inde ad tantæ rei spectaculum orto, Rex excitatus fuit. Et cum quidam familiarium aquam ad restinguendum ferret, ab Regina retentus, sedatoque iam tumultu moueri puerum eadem Regina prohibuit donec sponte sua expergisceretur, mox cum somno abijt, & flamma. Tunc Tanaquil seducto viro monuit id non mediocre portentum esse, lumenque illud Regiæ afflictæ præsidium fore, & sanè Seruius ad Supremum Regni fastigium euectus fuit.

Idem quoque Liuius asserit Lucio Martio Militibus concionanti flammam circa caput effusam

sam

ſam ſine ipſius ſenſu cum magno pauore circumſtantium militum certum eidem victoriæ munimentum fuiſſe.

Veteres ex ſternutatione etiã omen deſumebant, hancq; modo boni aliquid, modo mali portendere volebant, vt adnotant interpretes Theocriti in illum locum ex Thalaſijs deſumptum.

Σιμιχίδα μὲν ἔρωτες ἐπέπταρον, ἦ γὰρ ὁ δειλὸς
Τόσου ἐρῆ μυρτῶς ὅσον ἔαρος αἶγες ἔρανται.

Sæpiùs tamen in bonam partem accipiebatur præcipuè ſi dextrorſum quis ſtrenuiſſet vt in 7. Illiados annotat Euſtachius. Itaque, & Odyſſeæ 14. Penelope è ſternutatione Telamachi gaudio perfunditur, quem in locum idem interpres ſatis multa

ta ad hanc rem pertinentia congerit.

Huc videtur quoq; reſpexiſſe Catullus, qui de Acme, & Septimio poſtquam expreſſit affectuoſa verba Septimij erga Acmem, & Acmis erga Septimium ait:

Hoc vt dixit, Amor ſiniſtra vt
ante,
Dextra ſternuit approbatione.
Nunc ab auſpicio bono profecti
Mutuis animis amant amantur.

Ab hoc quoque alienum non eſt illud Propertij.

Num tibi naſcenti primis mea
vita diebus
Aridus argutum ſternuit omen
amor?

Omnia quæ à leua manu veniebant infauſta ominari putabant, vnde infauſtis, & triſtibus re-

rebus læuam manum adhibebant. Quo respexit Seneca Tragic. in Medea, qui inducens illam tristia molientem dicit.

Et triste læua complicans sacrum manu.

Tristia quoque, & aduersa à Dijs læua manu dari credebant, vt asserit Delrius in Com. Senec. Trag.

Diuersa fuerunt auspicationis genera. Pyromantia fuit genus quoddam auspicationis, quod à flamma capiebatur. Capromantia aliud genus quod à fumo. Hieroscopia erat Extispicium Delrius in Coment. Senec. Trag. D. Isidorus, & alij.

Qui auspicabantur baculum quemdam incuruum manu capiebant, qui baculus appellabatur lituus. Hic seruabatur in

Ca-

Capitolio. Sed cum perditus fuiſſet capta vrbe à Gallis, Eiectis illis inter cætera igne conſumpta, & corrupta multo cinere conſepultus illeſus ab igne repertus eſt.

Auſpicabantur etiam primo die, quo magiſtratum inibant Turnebus Aduerſar.

Ad Bellum niſi auſpicato progrediebantur. Quare Romanis contra Samnites arma conferentibus, cum incertis auſpicijs ad bellum itum eſſet Lucius Papirius dictator Romam ad repetendum auſpicium reuerſus eſt. Liuius lib. 8.

Iter facturi maximè ab auſpicijs dependebant, præcipuè ab auibus, quæ dicebantur oſcines ideſt, vt vult Feſtus auſpiciū ore facientes, quales ſunt Cor-

uus,

uus, cornix, & noctua; Vnde Tullius de Diuinatione lib. 1. *Eadem efficit in auibus Diuina mens, vt tùm huc, tum illuc volent. Aues tùm à dextra, tùm à sinistra parte canant oscines.*

Inter mala omina itineris habebantur Parræ Cantus, & Serpens transuersa ex parte æquo Terrorem inferens, & plura alia. Huius rei præclaram mentionem facit Horatius lib. 3. Ode 27.

Impios Parræ recinentis omen
Ducat, & prægnans Canis, aut ab agro
Raua decurrens lupa Lanuino
Fætaq; Vulpes.
Rumpat, & Serpens iter institutũ
Si per obliquum similis Sagittæ
Terruit mannes. Ego cui timebo
Prouidus auspex.

Ante-

Antequā stantes repetat Paludes
Imbrium diuina auis imminentum
Oscinem coruum prece suscitabo
Solis ab ortu.

Dum autem dicit solis ab ortu designat Augures auspicia capientes solem spectare consueuisse, vt meridies eis esset pars dextera, Septentrio sinistra.

CAPVT IX.

De Imperatoribus, & Regibus.

IMperatores, ac Reges tanta veneratione veteres prosequebantur, vt illos inter Deos immortales adscriberent Maiestatem Imperij salutis esse tutelam existimantes. Vnde Alexan-

xander Calisthenem diuinos honores illi denegantem interfecit.

Apud Indos, eodem Curtio teste, cum Rex in Publicum prodiret, thuribula argentea ministri ferebant, omnesque vias per quas transire decreuerat replebant odoribus.

Adeo autem effeminatè, & luxuriosè viuebat Indorũ Rex, vt capillum pectens, atque se ipsum ornans responsa legationibus, & iura popularibus redderet. Eum quocunque ferebatur comitabãtur Pellices si Curtio credimus, eumque sopitum in lectum deducebant. A fœminis epulæ Regiæ parabantur, & eædem conuiuio seruiebant.

Hesiodus verò relatus à Macrobio lib. 1. in Som. Scip. Priscos

ſcos Reges non ſolum Dijs adſcribit, ſed etiam eiſdem in Cœlo regendi res humanas aſſignat officium.

Indigetes Diui fato Summi Iouis hi ſunt
Quondam homines modo cum ſuperis humana tuentes.
Largi ac munifici, ius Regum nunc quoque nacti.

Apud Romanos etiam Imperatores Diuinos ſibi vſurpabant honores. Laureo coronabantur ſerto, nam vt notat Caſaubonus in Perſium tempore illo nondum erant diadema, & purpura, & alia Principum inſignia, quæ poſteriori æuo reperta ſunt. Ante ipſos præcedebant excubiæ Apparatus militum, & Lictores. Ignis quoque vt notat Turnebus Aduerſar. ante ipſos per-

perferebatur, & ante Vxores eorum. Hoc enim erat summæ dignitatis insigne.

Ante fores ædium Imperatoris pro splendore dignitatis teste Plinio lib. 15. viridis laurus videbatur affixa, & in eius cubiculo vt tradit Spartianus in vita Seueri constituebatur Simulacrũ Fortunę ex auro affabre factum, quod post eius obitum in successoris cubiculum transferebatur.

Boni autem Imperatores in bonis ministris eligendis maximam, ac diligentem curam habebant. Vnde Seuerus nomina eorum quibus magistratum decreuerat in albo proponebat, vt vitia virtutesq; innotescerent, & quoquisque honore ac munere dignus esset populi iudicio exploraret.

Imperatores vita functi si benè Rempublicam administrassent luctu publico plorabantur per aliquot dies. Laudabantur pro Rostris, eorumque gesta fastis comendabantur.

Sed celebre illud est quod de Regibus Ægypti tradunt Historici melioris notæ. Post mortem Regis publicè eius cadauer exponebatur, & statuebantur Iudices, qui supra eius actiones diligenter inquirerent; licitumque erat cuicunque etiam ex infima plebe ipsum accusare. Quod si delatum crimen verum esse reperiebatur, Nomen eius publicæ tradebatur infamiæ, & Cadauer Coruis, ac feris vorandum proiciebatur. Donec stetit hæc lex habuit Ægyptus optimos, ac iustissimos Reges,

qui

qui tam rigoroſo examine perteriti ſumma diligentia cauebant, ne vita functi tanto dedecori ſubiacerent.

CAPVT X.

De Magiſtratibus.

MAgiſtratus habebantur proprijs in locis ad id publicè ſtatutis. Quamuis eſſent etiam extra ciuitatem quædam loca, quæ dicebantur conciliabula, teſte Adriano Turnebo, in quibus conuentus aliqui iuridici fiebant.

Licurgus autem vt aſſerit Plutarcus ſtatuerat, vt locus vbi conueniebant Senatores nullo eſſet opificio affabrè conſtructus, ſed in campo conuenirent

aperto, ne in rerum varietatem oculos figentes minorem curam statuendis rebus impenderent.

Nulla fiebat Magistratuum electio sine auspicijs, teste Turnebo ita vt quàm multi de eisdem auspicijs dubij à dignitate se se vltrò abdicarent.

Supremorum Magistratuum vestis erat purpura Senatoria, quæ laticlauius dicebatur. Angusticlauius vero erat aliud genus vestis, quæ dabatur inferioribus dignitate. Qui Angusticlauius dicebatur etiam Arctum lumen purpuræ.

Iudices summam, & intaminatam administrabant iustitiam, ita vt nullus cognatorum amor ad illam infringendam eosdem inducere valeret. Cum enim pulsis Roma Tarquinijs detecta fuisset

fuiſſet quædam conuentio inter nobiliores Ciuitatis de Tarquinijs iterum introducendis, & in illa comperti fuiſſent etiam duo Filij Bruti tunc Conſulis. Sedentes Conſules pro Tribunali, ipſe quoque Brutus morte damnauit Filios illorumque ſupplicio conſtanti animo ac ſicis oculis interfuit.

Varia, & multa fuerunt Magiſtratuum genera, ſed omnium ſupremus fuit conſulatus. Duo autē eligebantur Conſules maturioris ætatis adeo vt excederent annum quadrageſimum tertium, & niſi bienio elapſo poſtquam Prætura functi fuiſſent.

Penes iſtos erat Summa Regiminis, & ante eos ſemper pręcedebant Lictores cum ſecuribus, & virgis, quæ erant digni-

tatis insignia; Nam antequam reus capite plecteretur virgis cædebatur Turnebus in Commentar. Cic.

Erat etiam maxima censorum auctoritas præsertim in legibus sanciendis, atque earum obseruantiæ inuigilando. Ad illos quoque spectabat Romanos equites recognoscere, qui proinde trabeati ante illos præteribant; eosque salutabant. Quo respexit Persius Satyr. 2.

Censorem ne tuum vel quod trabeate salutas.

Alius erat Magistratus ædilium quorum munus erat vendentium rabiem coercere, teste Casaubono in Pers. Annonam curare, de mensura iudicare, minora vasa frangere &c.

Erant vlterius prætores, &

Præ-

Præfecti, qui ad Regendas subiectas prouincias mittebantur. Ad illos Ciuilium rerum, & etiam Criminalium iudicium spectabat. Ad istos rei militaris cura pertinebat. In arduis tamen ac magni ponderis rebus, quæ publicum spectabant nihil statuebant inconsultis Supremis Magistratibus; Quibus etiam perfuncti muneris rationem reddebant.

Viginti viri erat alius Magistratus, teste Turneb. Aduersar. constans ex viginti viris. Quorum tres erant trium viri capitales, alij tres trium viri monetales. Quatuor viri curatores viarum Vrbis, & decem Viri qui hastam centum viralem cogebant.

Reges ærarij erant decem vi-

ri summa cum potestate creati; Qui omnes Italiæ, & Syriæ agros, omnia vectigalia, etiam quæ Pompeius imperio quæsiuerat diuenderent. Qui in iudicium vocarent extores eicerent sedibus, vrbes concederent, pecunias ex ærario haurirent, milites conscriberent, & exercitum alerent. Reges autem appellabantur, teste Turneb. eo quod esset hoc nomen Romanis perquam inuisum.

Clientes autem quotidie magnos viros, & etiam nobiles salutatum adibant, vt refert Casaubonus in Pers. Qui autem minus grati erant durius tractabantur ab hostiarijs, & admissionum Magistris. Hoc autem Persius eleganter *limina frigescere* dixit translatum à cibis pri-

dia-

dianis, & frigidis qui minus placent: Satyr. 1.

Vide sis ne maiorum tibi fortè
Limina frigescant.

Omnes autem Magistratus, vt dixi, Romana præsertim Republica vigente satis cautè procedebant inferendis iudicijs, vnde Lex Seruilia induxit comprendinationem, quæ erat secunda actio, siue secunda dictio causæ teste Turneb. Aduersar. ne primò Reus iudicaretur, & licet in prima actione liqueret iudici reum esse damnandum, eum tamen condemnare non licebat nisi post secundam actionem.

Morte damnati vehiculo ad supplicium ducebantur ignominiæ causa, vt omnibus conspecui essent, vt refert Amian.

Marcel. lib. 29. Hoc autem supplicium vſque ad Conſtantini tempora fuit Crux; licet Ciues Romani non Crucifigerentur, ſed tantum capite plectérentur.

Qui Rempublicam benè administrauerunt ſoliti erant plauſu excipi à Populo ludos ſpectante. Quò reſpexit Oratius lib. 1. Ode 20.

Datus in Theatro cũ tibi plauſus
Chare mecenas Eques.

Qui autem ſe malè geſſerant ſibilis excipiebantur.

Summus erat honor apud Romanos, & benè geſtæ Reipublicæ argumentum Appellari Pater Patriæ. Qui honor ante Cæſarum tempora nemini quã Camillo, & Ciceroni contigit. Et ipſe Auguſtus, vt refert Sueto-

tonius, nullo alio honore magis lætatus eſt, quàm cum à Senatu Populoque Romano Pater Patriæ appellatus fuit.

Magiſtratuum iuſſu apud Romanos res omnes, tùm foris geſtę, tùm actæ domi ſingulis annis publicæ memoriæ cauſa in faſtis perſcribebantur, teſte Liuio, & à faſtis publicis tempora metiri ſolebant, vnde & annos à conſulibus computabant.

CAPVT XI.

De Iuramento.

IVramentum tanta religione obſeruarunt Veteres, vt nunquam, niſi maxima neceſſitate coacti eodem ſe obſtringerent. Peiera re autem adeo ſummum

mum

mum nefas apud ipsos habitum est, vt existimauerint ipsis quoque Dijs peierantibus pœnam statutam fuisse. Si enim aliquando accidisset, vt per Stygiam Paludem iurassent, nec iuramento stetissent, arbitrabantur pro pœna ipsis indictum esse, vt Deorum mensis abstinentes per annum nectare, & ambrosia priuarentur. Delrius in Com. Sen. Trag.

Solemne autem iuramentum in Æde Proserpinæ fieri consueuisse tradit Cornelius Nepos, & qui iurabant aram tangebant, vnde vetus illud dictum *tactis aris*.

Viri iurabant per Iouem, Herculem, Fidem, Genium. Mulieres verò Edepol, Ecastor, & per Iunonem, vt tradit Lubinus

nus in Iuuenal. Vnde adulantes Neroni dicebant *per Iunonem tuam.* Maximum erat Iuramentum apud Romanos, teste eodem; Per Iouem, Palladem, Iunonem, qui ex Samotracia Romam aduecti sunt.

Per cineres etiam, & ossa suorum, & per quicquid carum haberent iurare solebant Antiqui. Quo respexit Iuuenal. Satyr. 6.

Nondum Grecis iurare paratis
Per caput alterius.

Maximum verò iuramentum erat cum quis iurabat in verba alterius, teste Torrentio, repetitis scilicet verbis, quæ proferebat alter, & grauiùs peccare arbitrabatur, qui tali iuramento non staret.

Pontifici iurare per filios non licebat. Per Deos verò permissũ fuit.

Cir-

Circa calendas Ianuarij Milites consueuerunt iurare in verba Principis. Teste Cataneo in Com. Plin. Ep. Illo autem die fiebant Solemnia Cereris, & asserente Tertuliano, Focos, & Choros in publicum educebant, vicatim epulabantur. Ciuitatem Tabernæ habitu abolefaciebant, lutum vino cogebant, cateruatim cursitabant.

Quando aliquis vocabat aliũ in testem, vt pro se veritatem aliquam iure iurando affirmaret ipsum laudare solebat ne videretur indignus cuius testimonium audiretur, vnde vt ait Lubinus in Iuuenal. *testem laudare* erat testem eligere.

Quandò verò duo pactum aliquod cum iuramento inter se faciebant, vterque tabellam in

qua

qua pactio erat præſcripta propria manu obſignabat, quæ tabella teste Suetonio *ſyngrapha* appellabatur.

CAPVT XII.

De Poetis, & Oratoribus.

VEteres doctos viros, ac virtute præditos summo honore, ac veneratione proſequebantur. Quare Alexander Thebis exciſis pepercit tantum ſtirpi Pindari Vatis, vt notat Curtius lib. 2. & Scipio Africanus teſte Paterculo lib. 1. Polybium, & Panecium præcellentes ingenio viros domi militięq; ſecum habuit, & Marcellus captis Syracuſis iuſſit vt nemo auderet Archimedis vitam lædere,

re,

re, & eundem matematicis figuris delineandis intentum miles inuoluntariè obtruncauerit.

Maiori etiam æstimatione habebantur apud bonos viros literati quam diuites. Antigonus enim Rex duobus filiam suam petentibus, quorum alter erat pecunijs inops, Doctrina verò, & virtute Diues, alter vero auro locuples, sed doctrina pauper Filiã concessit pauperi virtute prædito dicens volo virum indigentem pecunia, non pecuniam indigentem viro. Vt asserit Lubinus in Coment. Iuuenal.

Honoris causa Poetæ coronis hederaceis donabantur quo respexit Horatius lib. 1. Ode 1.

Me doctarum Hederæ præmia frontium.
Dijs miscent superis.

Et

Et Poetarum etiam imagines, & statuæ hedera coronatæ in Musarum ædibus locabantur. Quod expressit Persius in Prolog. Satyr.

Heliconidas Pallidamque Pyrenen
Illis relinquo, quorum imagines lambunt
Hederæ sequaces.

In tanta ergo æstimatione erant apud Homines Viri docti, vt prætereuntes per publicas vias digito monstrarentur, quod pro sumo honore ab ipsis habebatur. Vnde Horatius.

Totum muneris hoc tui est
Quod monstror digito Prætereuntium.

Et Persius Satyr. 1.

At pulchrum est digito monstrari, & dicier hic est.

Plu-

Plures ideo ingenti litterarum desiderio flagrabant, omnique studio curabant, vt docti aut fierent aut haberentur. Qua propter Epitecti lucerna empta fuit ter mille dracmis, eo quia emptor sperabat se ad eius lumen studendo doctum euasurum, vt tradit Lubinus in Iuuenal.

Quam plures alij mentem eleboro purgabant albo, quod & sumpsisse Carneades fertur contra Zenonis libros scripturus. Huc respexit Persius. Satyr. 1.

Non hæc est Illias Actij
Ebria Veratro.

Alijdenique, vel aquam bibant Hypocrenis, vel Parnassi iuga conscendebant, vt ibi dormirent, sic enim putabant se doctos euasuros. Quos perstringit Persius in Prolog. Satyr.

Nec

Nec fonte labra prolui Cabalino
Nec in bicipiti somniasse Parnasso
Memini, vt repente sic Poeta prodirem.

Qui verò iratis musis mentem sortiti erant studijs ineptam, curabant librorum ostentatione, vel habitu, vel alio modo, vt docti haberentur. Vnum ex his lepidissimo Epigrammate deridet Martialis.

Quod emptis libris tibi bibliotheca referta est
Doctum, & grammaticum te Philomuse putas.
Hoc genere cordas, & plectra, & Barbyta conde
Omnia mercatus cras cytaredus eris.

Studebant Veteres præsertim diuites in lectulis lucubratorijs com-

compactis ex tabulis cytrinis, ibique carmina faciebant. Persius Satyr. 1.

Non quicquid denique lectis
Scribitur in Cytreis.

Ornabantur libri quibusdam veluti clauiculis, qui dicebantur vmbilici, & quia hæc ornamenta imponi solebant libris iam confectis, hinc ortum habuit illud commune dictum *Rem ad vmbilicum perducere* pro extremam manum imponere.

Consuetudo Romæ fuit, vt in Æde Apollinis Palatini docti viri conuenirent, & sua scripta eò deferrent, vt testatur Lubinus in Iuuenal. Neque quisquam Poeta censebatur nisi prius carmina recitasset publicè, aut in lucem edidisset. Quo respexit Pers. in Prolog. Satyr.

Ipse

Ipſe Semipaganus
Ad ſacra Vatum carmen affero noſtrum.

Oratores autem, & Poetæ publicè aliquid recitaturi corporis elegantiæ ſtudebant, vnde mos erat, vt loti prodirent, pexa coma, atque barba, noua ac alba veſte induti, annulum ferentes in digito, cui ſardonyx eſſet infixa. Quæ omnia exprimit Perſius Satyr. 1.

Scilicet hæc populo pexus togaq; recenti,
Et natalitia tandem cum Sardonyche albus.

Celſam ſedem conſcendentes, ſilentio manu indicto Orationem, vel carmen recitabant, quo completo ſi Populo placuiſſent; acclamationibus plaudebatur ab auditoribus dicentibus

Eugè,

Eugè, & bellè. Idem Persius Satyr. 1.

An erit qui velle recuset
Os populi meruisse?

Et paulo post.

Sed recti finemque extremumq; esse recuso
Eugè tuum, & bellè.

Oratores autem, & Poetæ parum solidæ eruditionis habentes, & tantum in speciem docti, hos plausus extorquere conabantur ab auditoribus, vel inflata verborum prolatione, vel gratiam affectando balbutienti lingua. Quos lepidissimè carpit Persius Satyr. 1.

Scribimus inclusi numeros ille, hic pede liber
Grande aliquid quod pulmo animæ prælargus anhelet.

Et paulo post.

Heù


Heù aliquis cui circum humeros
hyacinthina lena est
Rancidulum quiddam balba de
nare locutus
Phylladus Hipsipyllas, vatum &
plorabile si quid
Eliquat & tenero suplantat ver-
ba palato.
Assensere viri.

Multoties etiam hos plausus nebant, vel laudantes ad conuia inuitando, vel muneribus liciendo. Vnde Petronius Satr. ait:

Multò turpior es tu herculè, qui foris re nares Poetam laudasti.

t Persius Satyr. 1.

Scis comitem horridulum trita
donare lacerna &c.



E CA-

CAPVT XIII.

De Bello.

VEteres Romani antequam bellum exteris nationibus indicerent feciales ſtatuebant, quorum munus erat aduertere ne cauſa belli eſſet iniuſta, & ne impiè, aut immaturè arma capeſſerent. Res igitur priùs repetitum ibant, deinde maioris partis conſenſu ſancito bello, ſtatutis Ducibus militibuſque paratis ferratam haſtam aut ſanguineam ad fines imperij ferebant, & non minus tribus puberibus præſentibus in dicto bello haſtam in fines hoſtium emitebant.

Iani inde templum aperiebatur,

tur, apertumque remanebat durante bello, quo peracto claudebatur.

Qui exercitibus præerant apud Romanos coccineis vtebantur Sagis. Horatius De M. Antonio.

Terra marique victus hostilis puncio
Lugubre mutauit sagum.

Militum vestis erat lacerna siue palium fimbriatum quo tantum ipsi vtebantur.

Præter ius iurandum quo solebant communiter se obstringere milites circa Calendas Ianuarij iurando in verba Principis, antequam bellum inirent aliud emitebant his verbis, *ibimus, ibimus* secuturi videlicet Ducem suum.

Summa rerum in bello penes

vnum fere semper erat, cuius Suprema Maiestas Summumque Imperium, vt nemini liceret eius mandatis reluctari. Quare excitato bello inter Romanos, & Latinos Titus Manlius Consul proprium filium necari iussit eo quod hostem lacesscitus occidisset contra eius edictum. Et Lucius Papinius dictator Romanis in Samnites arma conferentibus Quintum Fabium Magistrum Equitum virgis capiteque damnauit eo quod contra eius mandatum in Samnites pugnasset licet secundo marte, ac victoriam retulisset viginti millium; hostium nece decoram. Vltimumque sanè passus esset supplicium, nisi lacrymis Patris Fabij, & totius Populi Romani precibus commotus dictator Quin-

to

sto Fabio pepercisset: T. Liuius lib. 8.

Si contigisset aliquando dictatorem ad Senatum scribere epistolis præscribere solebant. *Si vos liberique vestri valetis bene est, ego exercitusque valemus.*

In militia contubernium vndecim homines faciebant auctore Vegetio. Qui tali contubernio præerat Decanus dicebatur ipse scilicet Vndecimus, & caput contubernij.

Disponebantur milites in acie instruenda tali pacto, vt hastati ponerentur in prima acie. Veterani verò milites in tertio ordine constituerentur, extremoque periculo repellendo reseruarentur. Vnde ad supremum discrimen indicandum dicere solebant *res ad Triarios venit.*

Vrbem aliquam obſidentes prius Deos euocabant, obſeſſique Deorum ſimulacra catenis, vel ferreis, vel aureis deuinciebant ne illos deſererent. Quare victis Veientibus à Romanis opugnataque eorum ciuitate in qua templum Iunonis erat, Iuuentus Romana albis veſtibus induta Iunonem ſolemni more venerata rogauit eam vellet ne ire Romam, quibus illſam annuiſſe, & leuem ſe ferentibus præbuiſſe ſcripſit Liuius.

Dies ille quo totaliter bellum perficiebatur, appellabatur magnus dies. Solemne epulum inſtituebatur, aliaque edebantur publicæ lætitiæ ſigna.

Omnis præda ex victis, fugatiſque hoſtibus, aut ex captis vrbibus relata deferebatur in publi-

bli-

blicum. Quapropter Consulibus Romanis à Tribunis Plebis dies dictus fuit eo quod prædam latam ex exercitu vendidissent, damnatique sunt quia eam non contulissent in Publicum.

Victores ouantes Ciuitatem ingrediebantur, & Imperator quidem Curru vehebatur, cuius instituti auctor fuit Tarquinius, qui primus omnium curru in triumpho vsus fuit.

Induebantur victores Nicetearijs, quæ erunt vestes, vel ornamenta è victorum collo pendentia. Eorum verò corona fuit ex frondibus populi arboris cōpacta, qua animi fortitudo designabatur.

Triumphantes bullā in triumpho gerebant inclusis in ea remedijs, quæ aduersus inuidiam

crederentur validissima Macrob. lib. 1. Saturn.

Deniq; Populi Romani plausu publicisque acclamationibus ducebantur in Capitolium, vbi albabos & indomita, vel etiam aliquando Taurus Albus Capitolino Ioui immolabatur.

Honoris causa erigebatur etiam statua victoribus, quæ dicebatur statua palmaris.

Victoribus militibus hostilis ager diuidi solebat, & Veteranis in coloniam deductis tantum agri dabatur, quantum ad alimentum sufficiens esset.

Si verò pacem sancire contingeret; In conuentione pacis teste Liuio Porcum saxo scilice percutere solebant quod à Sacerdotibus agebatur. Hocque peractum fuit in conuentione

Po-

Populi Romani cum Albano.

Duces tandem, & Imperatores Militum confecta pugna, completoque bellandi munere, arma, & scuta quercui appendebant, sicuti etiam hostium exuuias; Quo respexit Lucanus lib. 1.

Qualis frugifero Quercus sublimis in agro
Exuuias veteres Populi sacrataque gestans
Dona Ducum &c.

CAPVT XIV.

De Coronis.

MVlta sane, ac diuersa fuisse coronarum genera, quibus Veteres tam Deos, quàm homines donabant satis com-

compertum est. Omnia recensere nimis operosum est. Aliqua tantum breui pagina indicabo.

Corona ex frondibus populi arboris animi fortitudinem indicabat, illaque donari consueuerunt ij, qui fortis generosique animi monumenta aliqua reliquissent.

Corona Ciuica contexta erat ex quercu, vel illice, eaque donabatur qui ciuem seruasset, simulque hostem occidisset.

Corona obsidionalis illa fuit, qua donabantur illi, qui obsessos liberassent: cōstituebatur ex gramine collecto in illo loco in quo detinebantur obsessi. Hac corona, teste Liuio, Decius donatus fuit à Romanis Legionibus, quas ab obsidione liberauerat lib. 7. cap. 37.

Co-

Corona oleagina donabantur victores ludi Olympici, eademq; apud Lacedemonios erat Sapientiæ præmium; qua donatum fuisse Temistoclem accepimus ex Plutarco.

Ex oleagine quoque construebatur alia corona, quæ dicebatur corona honoris, & eadem donabantur bene de Republica meriti, non solum apud Athenienses, verùm etiam apud Romanos, antequam coronæ texerentur ex floribus. Coronam hanc obtinuit Trasibulus, teste Cornelio Nepote, cum Athenas à triginta Tyrannis liberasset.

Corona hederacea propria fuit Poetarum, hac coronari solebant Poetæ, qui carminum elegantia alios superassent.

Calendis Aprilis Matronæ myrto coronatæ se se abluebant.

Sicuti etiam eodem die Pontificum, & Imperatorum fores viridi lauro coronabantur. Plin. lib. 15.

Conuiuales Coronę ex Apio, & Myrto erant constitutæ, quibus etiam alligari solebant auiculæ quædam, quæ vnguibus rostroque conuiuas pungendo impedirent ne inter pocula obdormirent. Muret. in Coment. Catul.

Ex Apio pariter, & myrto texebantur coronæ sepulchrales, quibus cadauera, & sepulchra coronabantur.

Verbenis coronari solebant qui hostias immolabant.

Simulacra fluminum corona-

ban-

bantur ex arundinibus eo quod ripæ fluminum arundinetis præfiguntur. Torrent.

Consueuerunt quoque veteres semel in anno teste Varone puteos coronare in memoriam beneficij ab eisdem accepti cum limpidas aquas suppeditent.

CAPVT XV.

De Funeribus.

POstquam aliquis fatis concesserat, cadauer pretiosis vnguentis vngebatur, vel ad dirum vstrinæ virus auertendum, vel inani quodam in mortuos officio, de quo Persius.

Crassisque lutatus amomis
In portam rigidos calces extendit.

Et

Et Martialis 11.

Vnguenta, & Casiam, & olentem funera myrrham
Thuraque de medio semicremata rogo,
Et quæ de Stygio rapuisti Cinnama lecto.

Inde Cadauer toga induebatur. Iuuenal. Satyr. 3.

Pars magna Italiæ est si verum admittimus in qua
Nemo togam sumit nisi mortuus.

Qui è viuis decesserat si vir nobilis erat, aut gestis clarus, eius filius, vel aliquis ex eius familia pro Rostris, quæ in vita preclarè gessisset oratione laudabat.

Pyra postea parabatur ex lignis odoriferis constructa, vnguentis quoque permixtis. Ad hanc delatum cadauer in eandem

dem proiiciebatur ſimul cum epulis cremandis, quas miſeriores homines aliquando extrahebant vt illis ſaturarentur, quod erat extremæ paupertatis inditium. Vnde Catullus.

Vidiſtis ipſam carpere è rogo
cenam.

Cadauere iam igne conſumpto colligebantur cineres. Quomodo autem hoc fieret cenſent aliqui fuiſſe id peractum beneficio lintei ex lino quodam incombuſtibili quod asbeſton Greci dixerunt. In hoc cadauer inuolutum comburebatur quidem, ſed impediebatur ne cineres diſpergerentur.

Sed quicquid ſit an linum illud verè fuerit, an aliquid fabuloſum, certum eſt quod non potuerunt omnes illo vti ob

eiuſ-

eiusdem pretium, & raritatem.

Verosimilius igitur est non fuisse veteres adeo anxios, vt omnes cadaueris cineres colligerent, sed tantum quædam ossium fragmenta, & residuas particulas, quibus plerunque cineres aliqui inhærebant. Hæ particulæ in vrna capaci locabantur. Hic respexit Martialis lib. 8. 57. de quodam Picente, qui cum haberet tres dentes illos dum sedet ad tumulum, expuerat, ac terræ mandauerat.

Ossa licet quondam defuncti non legat hæres
Hoc sibi iam Picens præstitit officium.

Et Seneca in Consol. ad Marciam cap. 22. *Adijce incendia, ruinas, naufragia, lacerationes medicorum, ossa viuis legentium.*

Post-

Postquam lecta ossa erant antequam vrnæ inderentur, in sinum condebantur, vnde Tibullus.

Non hic mihi mater
Quæ legat in mœstos ossa perusta sinus.

Eadem vino perfundebantur.

Vino bibulam lauere fauillam.

Quodque mirum est etiam in martyrum reliquijs apud Christianos id seruatum tradit Prudentius Hym. de SS. Fructuoso, Augurio, & Eulogio. Martyribus.

Tum de corporibus sacris fauillam,
Et perfusa mero leguntur ossa
Quæ raptim sibi quisque vendicabat.

Postea in vrna talia fragmenta condebantur. Amicorum autem

rem munus erat erga defunctos illos lugere, & conditos vrna cineres lacrymis ſpargere, ampullaſque lacrymis impletas ſepulcris inſerere. Vnde non humari, aut ſine lacrymis humari infauſtum erat.

Nos viles animæ inhumata, in-
fletaque turba.

Nonnulli etiam cineres ſuorum, ne qua pars periret, labris, & ore ſcrutati lambere ſolebant. Quo reſpexit Seneca Tragic. in Troa.

Quicquid hic cineris latet
Scrutabor ore.

In vno loco plures vrnæ condebantur, ſicut in vno monumento plura corpora. Vnde Cinerarium in vet. inſcriptionibus pro loco vrnarum in quibus cineres; Qui locus oſſuarium

etiam

etiam ab aliquibus appellatus est.

Non ſemper Romani cadauera combuſſerunt. Nam Plinius lib. 7. tradit non fuiſſe veteris instituti cadauera cremare. Nam initio mortuos terra conditos fuiſſe, & etiam à multis familijs priſcum ritum ſeruatum eſſe; Sicut in Cornelia neminem ante Syllam crematum.

Vulgò cremari cadauera deſijſſe tempore Antoninorum viri docti credunt, ſed nihil certi afferunt, cum etiam poſt eoſdem cadauera cremata fuiſſe tradant nonnulli.

Chriſtiani quidem, quod ego ſciam nunquam cadauera cremarunt, totamque hanc vſtrinam ſuſtulerunt, & Iudæorum exemplo integra ſepelire conſue-

sueuerunt, vt tradit Tacitus. Et Ethnicus quidam contra Christianos declamitans apud Minutium felicem in octauio ait. *Inde videlicet, & execrantur rogos, & damnant ignium sepulturas.*

Optabant suorum tumulis ver æternum, eoque frui perpetuo Manes bonorum credebant. Vnde Iuuenal.

Dij Maiorum vmbris tenuem, & sine pondere terram
Spirantesq; Crocos, & in vrnam perpetuum ver.

Ex quo patet, quod amicorum cadaueribus terram leuem, inimicorum verò grauem optabant: Vnde Tibullus.

Quisquis es infelix vrgeat ossa lapis.

Mortui summa veneratione habebantur, vnde & Sepulcra vio-

violare ſummum nefas exiſtimarunt, & ingredientes locum in quo ſepulcra erant conſtituta mortuos ſalutare conſueuerunt. Vnde Virgil. Æneid. 5.

Salue Sancte Parens, iterum ſaluete recepti
Ne quicquam cineres animæque vmbræq; Paternæ.

FINIS.



